



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De  
Expedita Ad Dei Amorem Via**

**Comalada, Miguel**

**Elvaci, 1685**

Cap VII. De Humilitatis Proposito, & ejusdem cum Desiderio collocutione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

verò manu illius apprehensâ, dixit illi virgo : Jam igitur pergamus intrò.

*De Humilitatis proposito, & ejusdem cum Desiderio collo-  
cutione.*

## CAPUT VII.

**D**Omûs hujus structura Desiderio cumprimis arridebat, ejusque stupebat pulchritudinem, quandoquidem simplex, minimeque fucata erat. Non enim in altum asurgebat, neque curiosis picturis, aut coloribus admodum ornata, sed humilis & commoda erat, neque super arenam, sed petram vivam collocata. Deinde ubi in Oratorio precem dixerat, ad Dominae cubiculum virgo eum perduxit, quæ eum humanissimè excepit, quòd admodum pius & DEO devotus esse videretur: jussitque eum apud se re-  
sede-

fidere, aitque illi: Quæ te res per-  
movit, Fili, ut ad nos accederes,  
cùm tamen inopes, simplices & ab-  
jectæ simus? *DESID.* Domina Ma-  
ter, Equitem quemdam, cujus est  
nomen Amor DEI, perquiro: atq;  
ut ab alijs accepi, invenire eum non  
licebit, nisi priùs aliquamdiu hïc  
apud vos intùs demoratus ero.  
Unde nisi molestum est, sub tua obe-  
dientia tuoque imperio vivere per-  
quam velim. *HUMILITAS.* De-  
siderium tuum & bona voluntas mi-  
hi sanè gratissima sunt: tamen pri-  
mùm dispicias, ac diligenter expen-  
das tecum, quid suscepturus aut ag-  
gressurus sis, ne postmodum facti  
te pœniteat. *DESID.* Gratiã suã  
in bonis omnibus, omniq; virtu-  
te perseverandi mihi ut præstet,  
*DEUM* oro. *HUMIL.* Amen,  
idemque bonum hoc, quod in te cœ-  
pit, opus etiam absolvat & con-  
summet. Atqui insuper necessum  
est, ut & ipse pro viribus id, quod  
po-

poteris, adhibere ne omittas, quò  
DEUS tandem perficiat. DESIDER.  
Ecquid mihi agendum censes?  
HUMILITAS. Dicam tibi fili. Si  
quidem apud nos permanere cupis,  
neque à meis virginibus foras ejici,  
isthanc filiam meam minimam, quæ  
te huc introduxit, amicam & mo-  
deratricem sive magistram tibi assu-  
mas oportet: quæ quidem Nihili-  
pensio (id est, omnis curæ super-  
vacanæ contemptio) dicitur, cui  
ea de re id à nobis demandatum offi-  
cij est, ut hospites excipiat: & ipsa  
Novitiorum semper moderatrix est.  
Ejus autem imperio quotquot subja-  
cere nolunt, nunquam perseverant.  
DESID. Lætus sanè eam mihi ma-  
gistram accipio. Interim oro, Do-  
mina Mater, tuum nomen, genus,  
conditiones, statumque mihi indi-  
ces, & qua ratione hisce virginibus  
præfecta sis: ut enim mihi relatum  
est, cunctarum tibi parentium vir-  
ginum proprietates, conditionem,

ac

statum nôsse oportet, idque eò, ut dum eas perspectas habuero, tantò ferventiùs amem : atque ubi hinc discessero, eis, qui ex me fortè sciscitaturi sunt, rectiùs possim respondere, ac plenius eos edocere.

**HUMIL.** Nomen mihi Humilitas est. Pater meus, Contemptus sui dicitur. Avus meus, Cognoscere seipsum vocatur. Ejus conjux, Cognitio DE I appellatur. Avus hic meus ex quadam civitate duxit originem, cujus est vocabulum, Attendere vel Considerare quid sim, quid fuerim, quid futurus sim. Ejus conjux, id est, Avia mea, ex alio prognata est oppido, nempe Consideratione Amoris DE I. Ad antedictam verò Avi mei patriam nonnisi duabus pergitur viis, portisque duabus aditus patet. Prima est, Ipsemet Homo : altera, Creaturæ. Ajuntque nemini ad alterutram harum portarum, nisi volitando, patere accessum & ingressum :  
 ipsum-

ipsumque Dominum nostrum proprijs manibus hanc exaëdicasse civitatem : eò quòd nemo sit præter ipsum unum, qui tam commodam, elegantem, atque firmam possit structuram conficere. **DESID.** Itane Dominus noster, cujus tanta est majestas & præstantia, ejusmodi extruendis muris, operique lateritio ac luteo efficiendo sese adjungit? **HUMIL.** Maximè sanè : siquidem insignis est artifex, peritusque cæmentarius & architectus : adeoque gaudio illi est & voluptati, lutea conficere opera, sive ex luto estructuras, murosque efficere. **DESID.** Quid causæ est, ut isthæc agat, quando nullius prorsus indiget? **HUMIL.** Ad hæc agenda non nisi immensa illius bonitas eum impellit ac movet, qua fit, ut nunquam velit cessare, quin alijs proffit : nec illis omnibus, quæ efficit ac molitur, nisi singulorum ac omnium salutem, commodum, ac felicitatem spectat & aucu-

pa-

patur: ita tamen, ut honor & laus ipsi uni tribuantur. Hacque de causa tam insignia efficit opera, ex tam vili materia, nempe, è luto vel terra, nimirum ut operum magnificentiam cum materia vilitate collatam, cuncti ipsum admirentur, laudent, & diligant. *DESID.* Equidem satis admiror, tam præstantem Dominum laudibus velle affici. Periculum sanè maximum est, ne vanam gloriam capiatur. *HUMIL.* Nihil minùs ei metuendum est: quandoquidem ita perfectus & absolutus est, ut nihil ei perfectionis desit: honorque illi impensus & gloria, non vana est, sed illius propria est, eumque decet, ei que jure debetur. Et quantumvis ei magnus habeatur honos, si tamen ad eum spectes honorem, qui illum decet, ei que congruit, ejusque majestati debetur, non potest unquam pro dignitate honorari. Atque ea re laudari ac exaltari vult, non quòd sit gloriæ cupidus, sed quòd  
ju-

justissimus sit, velitque cuilibet, quod suum est, tribui: cumque illi uni, tanquam soli bono, omnis honor, laus & gloria debeat, ea etiam sibi uni vult praestari ac exhiberi. Quod si quis alius ea tanquam sua ac propria ambiat & appetat, ejus vana est gloria: praeripitque ac suffuratur eam illi, cuius unius est: potestque pro deliberato ac voluntario fure haberi, quando rem alienam, insciente ac invito domino, contrectat, sibi que usurpare appetit.

*Prosequitur inchoatum sermonem Humilitas.*

## CAPUT VIII.

**D**ESIDERIUS. Posteaquam Domina Mater, genus tuum mihi edixisti, velim explices, quanam hujus domus praefecta sis instituta. Siquidem praclarum quiddam,